



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 34. in scandalosos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

amare perire, aut picem attingere inquinari. Multo maxime autem excommunicationis fulmen quilibet cordatus expavescat, nunquam non memor verendae illius senten-

tiae quam Augustinus scripsit: *excommunicatio animae supplicium. Pave & cave ne fias anathema.*

S. August. ep. 75. ad Auxent. Deuter. 7. v. 26.

* * *

PHILIPPICA XXXIV.

In scandalosos.

DOMINICA EADEM POST PASCHA.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.

Ioan. 16. v. 1.

§. 1.
Scandalum omnimodè cavet Deus, Deipara, Angeli,



I tantam cælestis Magister discipulorum suorum curam gessit, ut scandalum non paterentur, quantam pro iisdem susceperit sollicitudinem, nè scandalum darent, cum hoc præ illo tantò sit deformius, quantò enormius censetur injuriam, mortem, aut quodvis damnum inferre, quàm illud fortiter ferendo superare. Certè nulli humanæ calamitati toties vae Salvator dixit, quoties activo scandalo: *væ mundo à scandalis, vae homini per quem scandalum venit* Matth. 18. v. 7. *væ autem vobis scribae & Pharisei.* Matth. 23. v. 13. 14. 15. 16. 23. 25. 27. 29. octies repetitum vae, quia execrandi octies sunt, qui voluntario alijs fiunt offendiculo. Percurre universam Christi & Deiparæ vitam, & comperies unum utriusque semper studium fuisse, ut neminem scandalizarent. Cur desponsatur, Virgo castitatis voto illigata? cur de conjugata nascitur Christus? nè in hujus natalibus scandalizari Judæa prudenter posset. cur circumciditur Divinus Infans? purificatur Virgo puerpera? ut cujuscunque amoveant scandali periculum. Cur

didrachma Cæsari solvit Iesus? cur Iesum quinque siclis seu centum obolis juxta legem Mariæ redimit? ut omnem impleant justitiam, omne scandalum evacuent. Imitantur Filius & Mater Patrem cælestem, qui justitiæ suæ vim quodam modo intulit & rebelles hebræos peste ac gladio penitus non cōsumpsit, nè forte superbirent hostes eorum & dicerent: *manus nostra excelsa & non Dominus fecit hæc omnia.* Deut. 32. v. 27. Sic & cælestis aulæ Principes Angeli nihil non agunt, ut scandala tollant; idcirco enim in manibus nos suis portant nè forte offendamus ad offensionis lapidem & scandali petram. Quàm ergo de genio Patris Cœlestis & Filij ejus, Deiparæ quoque & Angelorum habent nihil, qui adversus filios Matris suæ ponunt scandalum, omnèque gaudium & lucrum suum existimant, cum scandalizaverint plurimos. Contra quos nescio quid dicam & quomodo, ut dicam sine scandalo.

Væ mundo à scandalis, si cælum propter unicum unius Luciferi scandalum evacuatum est, quid mundo fiet, ubi plena scandalis sunt omnia, tantæque hominum est malitia, ut necesse sit venire scandala, sicut

Lev. 27. v. 6.

§. 2.
Scandalosis multiplex vae dicitur.

cut necesse est ex igne fumum, ex fumo fuliginem, ex fuligine atram maculam venire, vel sicut ex corruptione aëris pestem, ex peste mortem, ex morte depopulationem sequi necesse est. *necesse est ut veniant scandala.* quia princeps hujus mundi, qui per scandalum seduxit Angelos, eodem medio omnibusq; viribus sataget pervertere mortales: necesse est venire scandala ut probentur & coronentur electi, discernantur verò reprobi, scandalizari enim parvulorum & infirmorum, ex scandalo autem alieno proficere fortium & electorum est. sicut ex vicinitate alij proficit rosa, ex impetu ventorum proficit cedrus & flamma, ex vicinia spinarum candor lilij emicat. vix certius salutis signum est quàm non perverti à perversis, non æmulari in malignatibus, non moveri quovis popularis auræ vento, atque scandalo. *Necesse est ut veniant scandala.* quia nitimur in vetitum semper, cupimusque negata, sicut infantes appetunt cultros, ægroti noxios cibos, phrænetici pro antidotis venena. *Verumtamen vae homini illi per quem scandalum venit.* vae ab Angelis! vae à scandalizatis! vae à Christo! vae ab aeterno Patre.

Angeli scandalosis vae inclamant; quia hi eorundem dulcem harmoniam turbant & fructum laborum impediunt. gaudent boni angeli super converso, tristantur, ut loquitur Origenes, super perverso. vae perversoribus qui vertunt citharam Angelorum in luctum! amat unusquisque Angelus magis clientem suum, quàm mater unicum filium, aut minorem fratrem major, cum enim DEUM intensissime amet, amat pariter clientem sibi à DEO commissum propter DEUM, qui dilexit nos, adeoque magis sentit seduci eun-

dem, quàm sentiat mater, si vulneretur lethaliter filius, quàm sentiat frater major si conculcetur & stranguletur frater parvulus. Clamavit custos Isaaci cum parens stringeret gladium: *Abraham, Abraham non extendas manum tuam super puerum neque, facias illi quidquam* Gen. 22. idem tibi Michaël Archangelus & proprius illius tutelaris quem scandalizos peccator inclamat: *nè facias illi quidquam.* omni plagâ gravius est scandalum, cum sæpe numero mortem afferat, ait Chrysostomus in 1. Cor. 8. clamavit Angelus Balaami custos, quòd hic afinam venderet, & non clamabit contra te, quòd animam ad Dei imaginem conditam, Christi sanguine conspersam, à Spiritu Sancto in sponsam & templum consecratam profanes ac inquines? clamavit Angelus Abelis Custos vindictam de terra, & non clamabit contra te o scandalose ultionem æternam, quòd gravius morte damnum proximo intuleris? clamant Angeli contra zizania: *visimus colligimus ea?* & quod Josue contra Achan, id contra scandalosum repetit Michaël *quia turbasti nos, exturbet te Dominus.* Jos. 7. v. 25.

Sed & ipse proximus clamabit contra te post scelus peractum quod à te edoctus est, clamabit in agone, clamabit æternitate totâ, sicut Thomas Cantipratanus audisse se testatur impoenitentis adolescentis (sibi olim ob innocentiam charissimi) clamorem & vae in agone; *vae illi qui seduxit me!*

Salamandra si quam irrepserit in arborem, eo ipso poma omnia intoxicat, ut scribit Pierius l. 16. hieroglyph. ideoque meritò à natura ad ignem est damnata. Salamandræ similes sunt omnes scandalosi, in caminum ignis inextinguilibus certissimo conjiciendi, ubi tot poenas luent,

luent, tot ignitos scorpiones, tot salamandras patientur, quot ex eorum scandalo peccata sunt commissa. quia *pereuntium animarum sanguis requiretur de manibus eorum*, ait Gregorius Magnus, *Et necesse erit*, inquit Salvianus, *ut sint pro tantis rei, quantos secum traxerunt in reatum!*

Clamat supremus Iudex adversum vos non unum sed duplex & octuplex vae, quia octies magis punientur qui scandalo, quam qui alijs se sceleribus contaminarunt. Scandalum appellat Apostolus peccatum in Christum, sicut desperatio vocatur peccatum in Spiritum Sanctum: *peccantes in fratres Et percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis* 1. Cor. 8. v. 12. peccare autem in Christum est idem quod flagellare, spinis coronare, crucifigere, occidere Christum. Dixerat Paulus: *quis scandalizatur Et ego non uror?* dicam ego de Christo: quis scandalizat proximum & non crucifigit Christum? ille ovem errantem quaesivit & humeris suis inventam imposuit, tu lupe rapax hanc ovem illi de humero tollis. ille sicut Gallina expansis in Cruce alis pullos suos congregavit, tu stygie accipiter in uno omnes illi pullos tollis; ille vineam sibi plantavit, quam tu nequam vulpecula eidem demoliris; ille agrum occavit, aravit, feminavit, tu inimice homo zizania superfeminas. ille aedificium sibi erexit: *Dei aedificatio estis* 1. Cor. 3. seque in lapidem fundamentalem posuit, tu cuniculos agis & in auras hoc aedificium jactas? *Horrendum penitus sacrilegium*, exclamat Bernardus serm. de convers. Pauli. *quod Et ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injece- runt.* Si Episcopo Pergami propter toleratos scandalosos dici jussit

Christus, ageret poenitentiam: *si quominus veniam tibi cito* Apoc. 2. v. 16. quid fiet ipsis scandalosis? *pugna- bo cum illis in gladio oris mei* ibid. v. 16. *occurram eis quasi uersa raptis catulis.* Osee 13. v. 8. nullam speret gratiam, nullam expectet misericordiam, nullam praesumat petere veniam, qui impudenter & palam scandalizare proximum non erubescit. *Noli proinde cibo tuo, verbo tuo, scandalo tuo, illum perdere pro quo Christus mortuus est*, Roman. 14. v. 15. Cogita jam illos oculos, quibus juratus Iudex scandalosum in die novissimo intuebitur, cogita verba quibus eundem alloquetur, cogita fulmen, quod in caput scelestum projiciet & vae irrevocabile pronunciaturus est.

Salutarem scandaloso poenitentiam injunxit piissimus Dominus cum dixit: *expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus* Matth. 18. v. 8. quae poena cum non nisi gravissimis criminibus apud Hebraeos inferri sit solita, facile ex eo gravitatem culpae colligemus; *mine istae austerae sunt Et magnam secum afferunt condemnationem*, inquit Chrysostomus homil. 7. in Genes. suspendatur mola asinaria scandaloso in collo potius quam manu, & pede, *ut inde sumat penam*, inquit Chrysologus serm. 27. unde sumpsit sensum, collo inquam suspendatur, quia jumentum est daemone & illius jugum portat; collo alligetur, quia sicut viscosi humores ex capite per collum in corpus, ita vitia a diabolo per scandalosos in corpus Christi quod est ecclesia prolabantur. Peccatrici genti dicebat DEUS Is. 47. v. 1. *descende, sede in pulvere Virgo filia Babylon, quia ultra non vocaberis mollis Et tenera: tolle molam Et mole farinam.* in quae verba sic commentatur Cyrillus Alex. *volens nolens servitutis miseriam*

§. 3.
Cur scan-
dalosis
mola asinaria
suspendenda
in collo?

viam subibis, moles farinam, apparebis nuda, retegetur ignominia tua, apparebunt dedecoratua; ò lingua scandalosa, ò oculi scandalosi heu! in molendino dæmonis afinariam molam agitis, ut commolatur triticum & furfures à pura farina separentur. Suspendatur citò vobis mola afinaria & mergamini in profundum maris, nè profundius in abyssum tormentorum immergami.

Denique clamat in scandalofum Deitas: homo homo de domo Israël! quicumque scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam. (hoc est quicumque gavifus fuerit in scandalo à se dato) ponam faciem meam contra hominem illum, & faciam eum in exemplum. *In proverbium & disperdam eum de medio populi mei.* Sic Jezabel disperit, sic Dathan, sic Pharaon, sic Judas &c. Qui mulierem prægnantem percussit, animam pro anima ponere jubetur Ex. 21. crudelius agit qui innocentem aliquam animulam pijs cogitationib⁹ velut gravidam scandalo percussit & perimit. *Super tribus sceleribus Amaron & super quatuor non convertã eos.* Amos 1. v. 3. quod putas illud quartum? eò quod dissecurerit prægnantes Galaad. Si prægnantes dissecurare tantum est nefas, ut misericordiam non mereatur, quid erit innocentes scandalizare, vitamque animæ ac Deum ipsum ijsdem tollere, heu quid dicet Mater gratiæ quæ omnes in corde suo inclusos gerit, quotquot in gratia DEI & primula innocentia degunt, quam dum scandalofus eripit, prægnantem quodammodo dissecat.

Paradoxa videri potest illa quæstio, quam Abulensis in l. 3. Reg. c. 14. proponit: An Jeroboam peccaverit gravius, quàm omnes homines mundi? suppono Adamum peccasse gravius, gravius Cainum,

Pharaonem &c. quod fuit Jeroboami peccatum? fecit duos vitulos aureos (3. Reg. 12. v. 28.) & alterum in Bethel, in Dan alterum collocans author populo fuit, ut divinos ijsdem honores deferret. quo scandalo ità irritavit Deum vivum & verum, ut quamvis injurias ceteras Nomini suo illatas facillimã sepeliat oblivione, hujus tamen recentem semper aluerit memoriam, & facile decies quater in sacris litteris id ipsum inculcavit: *Peccare fecit Israël.* Tam gravis nimirum malitia scandali est, ut cetera omnia hominum scelera ex humana fragilitate patrata exuperet, & nullo verborum numero ac pondere sufficienter exprimi posse videatur.

Multis sorduit iniquitatibus Judas, avaritiã in primis, tum furtis, murmure, maledicentiã, temerarijs judicijs, pertinaciã denique tantã ut dixerit Christus: *unus ex vobis diabolus est.* Joann. 6. v. 71. & tamen elogium illi concinnans Petrus hoc tantum nomine describendum duxit Act. 1. v. 16. *qui fuit Dux eorum qui comprehenderunt IESUM.* Non dicit (verba Chrysostomi) de scelesto illo & omnibus sceleribus coinquinato, sed qui fuit Dux eorum. hoc enim peccatum scandali, quo alios induxit ad captivandum Iesum, tam enorme fuit, ut cetera quodammodo obscuraret; Deus enim ceterorum peccatorum velut immemor ea tantum gravia reputat & extremo digna odio, per quæ alijs via ad offensam divinam ostenditur.

A peccato scandali timens sibi Job, ut adventantes tres amicos conspexit, tedium vitæ primùm concepit, & noctem mortis præ die vitæ exoptavit: *tunc Job aperuit os suum & diem suum execratus est.* Job. 3. v. 1. non est execratus cum filios & familiam omnem subitanã morte

§. 4.
Peccatum
scandali
ceteris
peccatis,
gravius.

morte sublatos accepisset, non est execratus cum sanitatis dispendium fecisset, non est execratus cum in sterquilinum eiectus testam faniem radere coactus fuisset, sed cum amicorum presentia fuisset honoratus, ex quorum consortio solatium & gaudium erat hauriendum. Verum alia fuit patientissimo Regi mens atque iudicium, quia enim ex supplicijs suis scandalizandos amicos & in temeraria iudicia quasi ob occulta scelera plecteretur incifuros praevidebat, execratus est diem suam, hoc enim Jobo gravissimum accidit, quod nequissimus daemon occasione ad pervertendos amicos abuteretur, & Jobi patientiam in familiarium traheret ruinam. Sensus hic est Anastasij Niffenj q. 30. in script. patientissimus Job aegre ferebat quod propter eum amici supplantabantur & propterea eum tadebat vivere, ut qui alijs inventus esset causa peccati. Quantum ergo flagitium ultro praestare occasiones Deum offendendi, atque ad offensam solerter incitare, & tantum non cogere.

S. f.
Scandalosi sunt demonis ministri &c.

Attentionem sibi maximam conciliat Chrysostomus in haec verba locutus (homil. in concubinarios to. 5.) *admirabile quoddam dicam: etiamsi graviter quis peccet & clam hoc faciat, & neminem scandalizet, minorem dabit poenam, quam qui leviter peccavit, sed cum scandalo multorum.* quae fortassis causa est, cur leviter quorundam sanctorum errata, alibi a me enumerata, gravius a Deo punita sint ob scandalum emanans, quam aliorum grandia flagitia, quae propter notoriam omnibusque exosam eorum nequitiam offendiculum tantum non creaverunt: quod si verò peccata ipsa perse enormia, cum gravi conjuncta sint scandalo, dubitandum non est homines ejus-

modi ministros esse sathanæ, pestes humani generis, & novos humanatæ Deitatis crucifixoies. Ministros & instrumenta diabolica esse affirmat Doctor Angelicus: *proprium officium demonis est tentare homines, eos in peccatum precipitando; quod si homo aliquando sic tenet, haec agit in quantum est diaboli minister.* Quam Angelici Magistri sententiam confirmat S. Leo Papa *babet hostis antiquus multos ex ijs, quos tenacius obligavit, aptos artibus suis, quorum ad alios decipiendos & ingenijs utatur, & lingua.* Ingentis profecto malitiæ hoc est argumentum, sicut vicissim maximæ seges est gloriæ, & divinorum omnium, ut Dionysius Areopagita loquitur, divinisimum, cooperari Deo in salutem animarum. Pestem humani generis scandalosos esse insinuavit Pfaltes, beatum virum pronuntians, *qui in cathedra Pestilentiae non sedit,* hoc est qui scandalum non dedit neque exemplo alijs suo Doctor atque Doctor in scelera fuit; audiatur Basilus præclarissimus Davidicorum verborum interpret: *pestilentes eos dicit, qui non solum seipsos perdunt, sed & in alios pestem suam juxta pestilentis morbi rationem transferunt.* fugiamus has pestes, si cara nobis anima est, execremur has virulentas mortes, si dulcis nobis vita est, diris omnibus hæc carcinomata devoveamus, si vitæ & felicitatis nostræ authorem diligimus; hic enim à nullo hominum genere magis offenditur quam à scandalosis. In Christum peccant, inquit Orator aureus, qui proximos scandalizant, quia opus Christi, quod propria morte absolvit, destruunt. non ita flagella sua, spinas, clavos & poenas omnes benignissimus Servator fenfit, quam unicum sentiat scandalum, per quod copiosa ejus redemptio destruitur, habuit enim in-

S. Th. p. r.
q. 114. a. 2.

S. Leo ser.
7. de Nat.

S. Basil. in
scholis su-
per ps.

S. Chryso-
stom. ho-
mil. 20. in
1. Cor. 3. v.
12.

gra-

gravissimis tormentis suis solatiû ex fructu animabus inde conferendo, at hunc fructum scandalosi pessumdant, ideóque super dolorem vulnerum addunt. Affectuosè Bernardus: si Dominus proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviolem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione malâ, exemplo pernicioso, scandali occasione avertit ab eo animas, quas redemit, quàm ab eo qui sanguinè suum fudit? Si Judas, si Caiphaz, si Herodes, si Pilatus gravissimis inferorum supplicijs maçantur, quòd Dei filium vendere, blasphemare, illudere, condemnare præsumperint, quot tandem obsecro

gehennæ (verba Chrysofomi sût) his plectèdis suffecerint, qui irritum faciunt sanguinis ac mortis ejus pretium, & quantum in ipsis est passionem ejus ac vulnera annihilant? *non potest hæc res pro magnitudine sceleris enarrari*, inquit attonitus Lactantius *vincit officium lingue sceleris magnitudo*. Taceamus ergo & non linguam modò sed aures, sed oculos, & quemlibet benigniorem affectum scandalosis in omne tempus abiuremus, æternumque jam nunc odium, execrationem, & diras indicamus.

1. 6. divin. infit. c. 23.

* * *
* * *



PHILIPPICA XXV.

In inhospitales Hostes Hospitis Spiritûs Sancti
DOMINICA PENTECOSTES.

Veniamus. Ioan. 14. v. 23.

§. I.
Ex multis
caulis Spi-
ritus Sancti
devo-
tione sus-
cipiendus
est.



Redideram neminem ex omnibus fore, qui sanctum Spiritum toto devotionis affectu non exciperet, & universam illi cordis ac animæ suæ mansionem non dedicaret. *Est enim Pater pauperum, Dator munerum, lumen cordium*, quis Patrem mitissimum non redamet, quis largitorem ditissimum non obferret, quis lumen amœnissimum non admittat? *Est cõsolator optimus*, quis solatium illius detrectet? *est dulcis hospes animæ*, quis hospitium uberi mercede pensandum non of-

ferat? *est dulce refrigerium*, quis in maligno curarum & tentationum æstu liquidissimum refrigerium respuat? & tamẽ audire iterum cogor querulam Evangelici vatis tubã hodie insonantem: *ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum Sancti*. Non tantum non amarunt Patrem, sed dehonestarunt, conculcarunt largitorem, extinxerunt illuminatorẽ, exacerbãrunt consolatorem, eliminãrunt hospitem, execrati sunt auxiliatorem: *ipsi autem ad iracundiam provocaverunt & afflixerunt Spiritum Sancti*. Contra hos impi-

Ita. 63. v. 10. in græc.

Aa

iffi